neceſſariū cibum ꝯtemnebant: q̄liter circa hoc
ſtudiū haberent: Et q̄ hec traditio ſcilicet.
iubere manꝰ lauari. nō erat cōtraria legi: ideo
dn̄s aliā traditionē legi ꝯtrariā ducit in mediū.
et q̄ſi clauū clauo retundens. dicit eos deficere.
quia faciebāt trāſgredi mādatū dn̄i ꝓpter man-
datū hoīm. q̄d nō erat faciendūȝ. q̄ ſcḋm Bern̄.
nihil placet deo q̄dcunq̧ ei obtuleris: neglecto eo
ad q̄d teneris. Vn̄ rn̄dēs ait illis. Quare et vos
trāſgredimi mādatū dei ꝓpter traditōȝ veſtraȝ:
Quaſi dicēt ſcḋm gloſā. Si vos ꝯtēnitis māda-
ta dei pro traditionibus hominū: quare argui
tis diſcipulos meos. qui mandata hominum
dimittunt. vt precepta dei cuſtodiant: Et dn̄i-
nus quideȝ nō rephendit mūdiciā corꝑalē: ſed
hoc rephendit. q̄ relicta mūdicia interiori. pu-
tabāt ſufficere tm̄ exteriorem. Deinde hoc q̄d
dixit ꝓbando ſubdit. Nam deus dixit honora. ſ.
neceſſaria dando et reuerentiā exhibēdo. nam
honor iſte non ſolū intelligit̄ reuerentia ſȝ etiā
neceſſarioꝝ adminiſtratō. patrem et matrem
in quibꝫ etiam ꝓximus quilibȝ intelligit̄. ſȝ illi
noīant̄ quibꝫ obligant̄. Et qui maledixerit pa
tri vel matri. nō tā verbo vel ſigno q̄ facto. mor
te moriat̄. Dn̄s enī imbecillitate ⁊ penurie pa
rentū ꝯſulēs. hoc ꝑ moyſen p̄cepit. ⁊ ideo ve ill̄
qui ꝑentes debiles vel pauperes ꝯtemnunt. et
debitis obſequijs ſcȝ reuerentia ⁊ neceſſariorū
exhibitione defraudāt. Hanc aūt legē phariſei
cupidi. ꝑ ſuam doctrinam falſam ſubuertentes
vt ſue auaricie ꝯſulerēt. et ſub nomīe pietatis
īpietatē inducerēt. docebāt filios ꝑentū et dice
bāt. q̄ meliꝰ erat bona ꝑentibꝫ adminiſtrādo. deo
fauē. ⁊ offerre: tū q̄ ē pr̄ p̄ncipalis et ſpūal̄. tū
q̄ licet ꝑ talē oblatōȝ ꝑentes ſuſtinerent detri-
mētū corꝑale. ꝯſeq̄bāt̄ tn̄ bonū ſpūale. inq̄tuȝ
illud q̄d erat in eorum neceſſitatem ꝯuertendū.
deo offerebatur: vt ita parentibus ſuis ab eis

neceſſaria exigentib⁹ ea negare poſſent. ditõres
freq̃nti⁹ offerrẽt: ex q̃ p̃ntes egeni fiebãt. ⁊ obla
tio filioꝝ ſub p̃textu religiõis in lucra ſac̃dotũ
cedebat. Vñ inſtruebãt filios q̃d egenis p̃ntib⁹
rñderent. et hoc ẽ q̃d ſaluatoꝛ dicit. Vos aũt ſcꝫ
aduerſatiue dicitis. i. in traditõne vr̃a alios in-
ſtruitis. falſo ſcꝫ exponẽdo mãdatũ dei p̱ lucro
vr̃o. Quicũqꝫ dixerit. i. dicere poterit patri vel
matri. O pr̄ et mr̄. qui indiges ⁊ petis munus a
me. munus q̃dcũqꝫ eſt a me. i. ex mea deuotõne
deo ſcꝫ ↄſecratum et oblatum. tibi p̱derit ſcꝫ ad
vtilitatẽ aĩe magis q̃ ſi darẽ tibi: qꝛ tũc p̱deſſet
ſoli coꝛpi. Vel põt legi interrogatiue ſic mun⁹
q̃dcũqꝫ eſt ex me. i. ex meis reb⁹ iam deuotũ deo
tibi p̱derit. Quaſi dicẽt. Q̃d vouit deo vis tuis
vſib⁹ applicare. et tibi p̱deſſe: abſit. qꝛ ſacrilegiũ
faceres ſi acciperes. Sic dicebãt p̃ntib⁹. vt illi
timẽtes accipere q̃d deo videbant mãcipatũ. et
ſacrilegij crimẽ incurrere: inopẽ magis vellent
vitã ducere q̃ de conſecratis comedere. Et eſt h̓
ↄſtructõ defectiua. Vñ ẽ ſenſus. Quicũqꝫ dixẽit
et cetera. ſcꝫ licite et bene pt̄ dicere illud. et im-
plet p̃ceptũ diuinum et legẽ: et eſt dignus vita
eterna et regno celoꝝ. q̃d tamẽ ẽ falſũ. qꝛ ſm̃ ve-
ritatẽ eſt trãſgreſſoꝛ p̃cepti. et hoc eſt q̃d ſubdiẽ
et ſic p̱ vr̃as ſuaſiões. fili⁹ poſtea nõ honoꝛifica
bit prẽm ſuũ et mrẽm. illud q̃d erat ſibi debituꝫ
hoc ſubtrahẽdo. et ita p̱ irritũ feciſtis mandatũ dei
de p̃ntibus honoꝛãdis et ſuſtentãdis. p̱pter tra-
ditõnem vr̃am. que vr̃e ſeruit auaricie: q̃ſi di-
ceret. mandatũ pietatis deſeritis p̱pter cupidi-
tatem ĩpietatis. Sꝫ vide ne hac auctoritate vt
plurimi faciũt. abutaris. ſupra modũ de rebus
eccleſie et paupeꝝ erogãs p̃ntib⁹. Ad maio-
rem autẽ intellectum ẽ ↄſiderandũ. q̃ pr̄ per ſe
tenetur filijs p̱uidẽ. qꝛ ẽ cauſa eoꝝ q̃tũ ad eſſe. ⁊
ideo debet eis nutrimentũ et documentũ: filius
aũt teneẽ p̱uidere p̃ntibus de neceſſarijs p̱ acci-
dens. ſcꝫ ſi illi indigeant et ip̃e ſit potens. ⁊ ideo
ſi pr̄ iam neceſſitateꝫ incurreret. bona de quib⁹
filius pt̄ ei adminiſtrare iam ſibi debita ſũt: de
alieno aũt nullus pt̄ deo facere ſacrificiũ. et iõ
talia offerre nõ ẽ licitũ: qꝛ hoc eſt trãſgredi pre-
ceptũ de honoꝛe p̃entũ. Secus aũ ſi filius bona
ſua vouiſſet anteq̃ p̃entes in neceſſitate poſiti
eſſent: q̃a tũc nõ eſſet licitũ de eis p̱uidere p̃en-
tibus. Deinde redarguẽs eos de ſc̃titatis ſi-
mulatõe: ſubdit. Ypocrite. bñ prophetauit de vo-
bis yſaias: dicẽs. Popul⁹ h̓ labijs me honoꝛat.
coꝛ aũ eoꝝ longe ẽ a me: qꝛ oñdebãt ſc̃titatẽ in
v̱bis et exterioꝛi ↄuerſatõe. cũ tñ coꝛrupti eẽnt
mala intentõe. Hoc pt̄ dici de illis q̃ bñ docẽt et
male viuũt: labijs eñi ⁊ nõ coꝛde deũ honoꝛare.
eſt bñ loq̃ ⁊ male viuẽ. Sine cauſa ⁊ fruſtra co
lũt me. nõ hñtes fructũ inde: ſicut eñ medicina
dr̄ fruſtra ⁊ ſine cauſa p̱pinari. q̃ nõ ↄfert ſani-
tatẽ. ſic cult⁹ diuin⁹ q̃ nõ ducit ad felicitatẽ: do-
cẽtes doctrinas ⁊ mãdata hoĩm. et p̱ hec tranſ-
gredi dei mandatũ p̱pter auariciã et lucꝝ. Et cõ
futatis ſup̱bis et ſup̱ſtitõſis ſcribis ⁊ phariſeis
qui ad partem videnẽ ſibi p̃dicta ↄtra diſcipu-

los dixiſſe. conuertit ſe ad turbam humilem et
ſimplicẽ. volẽs eos a falſa doctrina phariſeoꝝ
reuocare et ↄuocatis eis: dixit. Audite exteri⁹
aure coꝛp̱is. et ĩtelligite interi⁹ aure mẽtis: au-
dite vocẽ ⁊ intelligite virtutẽ. Non q̃d intrat in
os coꝛp̱is ſcꝫ cib⁹ coꝛp̱alis. coinq̃nat hoĩeꝫ ſpi-
ritualiter. ſcꝫ in aĩa et apud deum: niſi inq̃tuꝫ
p̱ delectatõnem male afficiẽ quis ad cibum. vel
alias eſſet ſibi p̱hibitum. q̃a nõ ĩtrat in coꝛ ei⁹
hoc eſt in aĩam: que cauſa eſt omnis immundi-
tie ſpiritualis. Vñ coꝛp̱ales ſoꝛdes non coinqui
nant ſpũaliter. ⁊ ideo nõ eſt curandũ vtꝝ lotis
vel nõ lotis manib⁹ coꝛp̱alis accipiaẽ cib⁹. Sꝫ
q̃d p̱cedit ex oꝛe coꝛdis. ⁊ ab interioꝛi radice vo
lũtatis. hoc coinq̃nat hoĩem: ſcꝫ verba male co
gitatõis. que ſũt malicie interioꝛis ſignificati-
ua: qꝛ ex cibo ſm̃ ſe nõ eſt culpa. ſed ex his que
p̱cedũt ex oꝛe coꝛdis et coꝛp̱is. et ideo os ipſuꝫ
eſt diligenter cuſtodiendũ. Et qꝛ nõ ſufficit cu-
ſtodia hũana. petẽda eſt cuſtodia diuina. ſicut
petebat p̱pħa: dicens. pone domine cuſtodiã oꝛi
meo. Tũc ſcꝫ q̃ñ audierũt illoꝛũ religionem
euacuari. acceſſerũt diſcipuli ſimplicitate mo-
ti et dixerũt ei. Scis qꝛ phariſei quoꝝ magna ẽ
religio in cibis. audito hoc v̱bo. q̃d ſcꝫ euacuat
diſcretõem ciboꝝ ⁊ traditõem ſenioꝝ. ſcãdaliſa
ti ſũt. i. indignati vel offenſi: Iſtud nõ erat ſcã-
dalum actiuum. q̃a neqꝫ ex facto neqꝫ ex dicto
minus recto. ſed poti⁹ paſſiuũ. quia audito ver
bo veritatis. pietatis et equitatis ſcandalizati
ſunt: quia oculis egris odioſa eſt lux. Unde nõ
dicunt tu ſcandaliſaſti: ſed ſcãdaliſati ſunt. Et
p̱pter tale ſcãdalũ alioꝝ. veritas vite. iuſticie ⁊
doctrine non eſt dimittẽda. quia p̱cedit ex ipi⁹
ſcandalizati malicia. Vñ Grego. Si de verita-
te ſcandalũ oꝛitur: rectius oꝛiri p̱mittiẽ quã q̃
veritas relinquaẽ. Et dominus reſpõdens ait.
Omnis plantatõ traditõnum humanarum. id
eſt doctrina ab hoĩe inuenta. que legi dei nõ eſt
ↄſona: quã non plantauit pater meus celeſtis.
immo conſuluit tepiditas carnalis: eradicabiẽ
cũ plãtatoꝛib⁹ ſuis. et hoc a fundamento xp̃o p̱
rep̱robationem. a fidelibus per ſeparationem.
a terra viuentium p̱ priuationem. quia nõ ha-
bet firmum fundamentũ et radicem. Sinite il
los in p̃cipitiũ dãnatõnis ire. et doctrinã illoꝝ
euitate. Ceci ſũt in ſe carentes v̱o intellectu le-
gis: et duces cecoꝝ in regimine alioꝝũ qꝛ alios
ſuo erroꝛe excecant. et eos ad p̃cipitiũ ducunt.
Cecus autem vt prelatus. ſi ceco vt ſubdito du
catũ p̃ſtet: ambo in foueam cadunt. ſicut obli-
quitas linee p̱cedit ex obliquitate regule. Unde
Grego. Cum paſtoꝛ per abrupta vicioꝝ gradi-
tur. ↄſequens eſt vt grex in p̃cipitiũ ducatur.
Et berñ. Ridiculoſa res ẽ. immo magis p̱icło-
ſa. ſpecłatoꝛ cecus. doctoꝛ inſcius. p̃curſoꝛ clau
dus. p̃latus negligens. preco mutus. Sed heu
qꝛ ſicut claudi volũt p̃ire. ita fatui p̃eſſe. De-
inde petro exigẽte. expoſuit diſcipl̓is p̱abolam
p̃dictã. Quia omẽ q̃d ĩ os intrat. i. aliqua p̱s de
omĩ q̃d intrat in os. in ſeceſſũ p̱ euacuatõnem

tanq̃ ſupfluũ emittitur.et aliud tanq̃ neceſſa
riũ retinet.et neutꝛ iſtoꝝ coinq̃nat hoīeȝ ſpi
ritualiter:et iſte mod' loq̃ndi freq̃ns ē in ſcꝑtu
ra.vt in michea oms ſanguini inſidiant.i.d oi
bus multi et ſimilia.Que aũt pcedũt de oꝛe int'
naſcunt.⁊ de cordre exeũt.i.de cordis imũdicia
ſicut fum' de igne.⁊ fetoꝛ de latrina:⁊ ea hoiem
iam inq̃natũ cogitatōe pua coinq̃nãt.i.ſimul
et magis inq̃nãt locutōe ſoꝛdida:qꝛ ſũt ꝯcept'
mẽtis ⁊ male cogitatōis ſignificatiua. Ex cogi
tatōnibꝫ em̃ malis.pueniũt ⁊ mala v̄ba ⁊ mala
facta.⁊ in actu interioꝛi pncipaliter eſt culpa.
cui' ea q̃ extra appent ſũt teſtimonia.vñ ſubiũ
git. De corde em̃ in q̃ eſt ſedes aīe et de libero
arbitrio.exeũt cogitatōnes male. ſicut princi
pia malicie:et ex cogitatōibꝫ malis mali actus
et verba pcedũt vlteri' ſcȝ homicidia.adulteria
foꝛnicatōes.furta.falſa teſtimonia.blaſphēie:
auaritia inq̃tũ aliq̃ iniuſte detinent. nequicia
cũ malũ affectam' et implere nõ poſſum'.dol'
q̃ ꝯſiſtit in deceptōne pximi.ĩpudicicia ĩ cogita
tōibꝫ.in v̄bis.in aſpectu.in tactu.⁊ q̃tũ ad quã
libet coꝛruptōem mẽtis et coꝛpis oculus mal'
id ē odiũ ⁊ adulatõ:nam q̃ odit.oculũ inuidũ ⁊
malũ habet ad eũ quē odit.⁊ adulatoꝛ nõ recto
oculo vidēs.que ſũt pximi ad malũ ipm̃ dedu
cit.ſupbia in v̄bis factis vel ſignis.ſtulticia cũ
ſcit malũ ⁊ nõ cauet.vel ſtulticia ē cum ñ recte
ſentit de deo.ꝯtrariat em̃ ſapientie q̃ eſt diuia
rum rex cognitõ.Oĩa hec mala et hmõi tranſ
greſſiones pceptoꝝ dei in coꝛde generãt.⁊ abin
tus a coꝛrupta volũtate pcedũt.ac ſpũalit ho
minē coinq̃nãt.i.imũdũ ⁊ impuꝝ reddũt. Hoc
em̃ in culpã hoī imputat. qd in ſua ptate exi
ſtit:talia aũt ſũt que pcedũt ab interioꝛi volũ
tate.p quã hõ eſt actuũ ſuoꝝ dñs: et ideo cau
ſa immũdicie ſpũalis nõ eſt niſi mala voluntas
Igit ſcribaꝝ et phariſeoꝛũ v̄ba maledicta que
ex iniq̃ volũtate ꝯ xp̄m ⁊ diſcipulos ei' pcedũt.
illa eos coinq̃nãt.Non lotis aũt manibꝫ mãdu
care et hmõi trãſgreſſiões ſupſtitioſaꝝ traditõ
num.nõ coinq̃nãt hoīeȝ. immũdicia ſpũali.nec
faciũt impuꝝ.Quaſi diceret.Ex q̃ null' cibus
coinq̃nat ſpũaliter hoiem.ḡ a minoꝛi.nõ lotis
manibꝫ mãducare nõ coinq̃nat eum.Et ſic oñ
dit.qd ſpũalia lr̃aliter intelligi nõ debent. Vñ
qñ pcipit in ſcꝑtura lotio abſolute: magis de
ſpũali q̃ de coꝛpali intelligendũ eſt lotõne.Sȝ
vt dicit Criſ.Videm' multos vt intrãt ecclĩam
lauãtes man' ⁊ os.q̃liter aũt mũdam offerãt ani
mã.curã nullã faciētes. Marcus p nõ lotis po
nit cõibus.⁊ p coinq̃nat ponit cõicat. iuxta he
breoꝝ ydeoma.q̃ cõmune immũdm̃ dicebãt. Iu
dei em̃ ptem dei ſe eſſe iactitantes cõmunes ci
bos vocãt.quibꝫ omēs vtunt hoies:q̃s ideo qꝛ
in lege phibiti erãt immũdos iudicabãt.Cõmũe
ergo q̃ ceteris hoibus patet.⁊ q̃ſi de pte dei nõ
eſt.immũdm̃ appellãt.Ex eo aũt q̃ dictũ eſt.d coꝛ
de exeunt cogitatõnes male et cetera:colligit.
q̃ et ſi dyabolus qñq̃ immittit homini cogita
tõnem mali.cogitatõnem tñ malam nõ pt im
mittere.que mala fit tm̃ p cõſenſum qui eſt in
coꝛde.Vñ qñ dicitur.cum miſiſſet dyabolus in
coꝛ iude.et in pſalmo immiſſiones per angelos
malos:immiſſio accipitur pro ſuggeſtõne.ali
ter enim non poteſt illabi anime. Vbi Hiero.
Ex hac ſententia arguendi ſũt qui cogitatõnes
a dyabolo immitti putant.et non ex ppria na
ſci voluntate.Dyabolus adiutoꝛ et incẽtoꝛ ma
laꝛum cogitatõnum eſſe poteſt.auctoꝛ eſſe non
poteſt.Si aũt ſemp inſidijs poſitus. leuē cogi
tatõnũ noſtraꝝ ſcintillã ſuis fomitibꝫ ĩflãmat.
non debemus opinari eum coꝛdis q̃ȝ occulta ri
mari.ſed ex coꝛpis habitu ⁊ geſtibus eſtimare.
q̃d verſem' intrinſecus.Verbi grã. ſi pulchraȝ
mulierē nos crebro viderit aſpicere: intelligit
coꝛ amoꝛis iaculo vulneratũ.Vñ ⁊ Aug'. Inter
nas aīe cogitatões diabolũ non videre certi ſu
mus:ſȝ motibꝫ eas coꝛpis et affectõnũ indicijs
ab illo colligi expimento didicim'.Secreta aũt
coꝛdis ſolus nouit ille.ad quē dicit:tu ſol' no
ſti coꝛda filioꝝ hoīm Hec Aug'.Solet q̃ppe dy
abolus añq̃ veniat.pmittere ſui aduentus pre
curſoꝛē.ſcȝ mali cogitatõem:quã ſi q̃s in coꝛ
de ſuſceptã nutrierit.dyabol' in coꝛde ſuo habi
taculũ prepauit.Et q̃uis dyabol' qñq̃ ſit adiu
toꝛ ⁊ occaſio malaꝝ cogitatõnuȝ.nõ tñ omniũ.
qꝛ qñq̃ pcedũt ex nobis tm̃.Vñ Aug'. Nõ oēs
male cogitatões nr̃e a dyaboli inſtictu excitã
tur.ſȝ aliq̃ties ex nr̃i arbitrij motu emergunt:
bone aũt cogitatões ſp a deo ſũt. Qualiter aũt
cogitatõibꝫ mal' reſiſtēdũ ſit.docet anſelm':di
cēs.Quõ aũt puã volũtatē aut malã cogitatõȝ
a vob̃ excludatis.hoc puũ ꝯſiliũ qd vob̃ do.in
telligite et tenete:nolite litigaē cũ puerſ cogi
tatõibꝫ vl' puerſa volũtate.ſȝ cũ vob̃ infeſte ſũt
aliq̃ vtili cogitatõne et voluntate mentem ve
ſtram.donec ille euaneſcant foꝛtiter occupate.
Nunq̃ enim expellitur cogitatio vel voluntas
niſi alia cogitatione vel voluntate que nõ con
coꝛdat illi.Sic ergo vos habete ad inutiles co
gitatõnes.vt toto niſu intēdendo ad vtiles.mēs
veſtra dedignet eas ſaltem recoꝛdari vel aſpi
cere.Cũ aũt vultis oꝛare aut in aliquã bonaȝ
meditatõnē intēdere.ſi vob̃ tũc ĩpoꝛtune ſũt co
gitatõnes q̃s non debetis ſuſcipere:nunq̃ pter
illarum impoꝛtunitateȝ bonũ quod incepiſtis
velitis dimittere:ne inſtigatoꝛ earuȝ dyabolus
gaudeat.q̃a vos ab ĩcepto facit deficē:ſȝ eo quē
dixi modo illas ꝯtemnēdo eas ſupate.neq̃ dole
atis nec triſtemini de illarũ infeſtatõne.q̃dia
illas:ſicut dixi. ꝯtēnēdo nullũ eis aſſenſũ pbe
tis.ne occaſiõe ĩſtitie iterũ redeãt ad memoriã
et ſuã impoꝛtunitatē reſuſcitent. Hanc em̃ ha
bet mēs hominis ꝯſuetudinem.vt hoc vñ dele
ctatur aut ꝯtriſtat ſepius ad memoꝛiam rede
at.q̃ hoc quod negligenduȝ ſentit aut cogitat.
Similiter ſe debet habere pſona in ſancto ppo
ſito ſtudioſa in quolibet motu indecēti ĩ coꝛpe
vl' aīa.ſicuti ē ſtimul' carnis.ire.ĩuidie vel ina
nis glie.Tũc em̃ facilime extinguũt cũ ⁊ illos
velle ſentire aut de illis cogitare.vel quid eoꝛũ

ſuaſione facere dedignamur. Neq; timeatis ꝙ
hmõi motus vel cogitatões vobis ad peccatũ
imputent̃. ſi nullatenus volũtas vr̃a ſe illis aſ-
ſociat. quoniã nihil dãnatonis ẽ his q̃ ſũt ĩ xp̃o
ih̃u. q̃ nõ ſ̃m carnem ambulãt. Scd̃m carnem
em̃ ambulare. ẽ carnis volũtati ꝯcordare. Car
nem autem vocat apl̃s. oẽm vicioſuʒ motũ in
aĩa vel corꝑe: cũ dicit caro ꝯcupiſcit aduerſus
ſpm̃. et ſpũs aduerſus carnẽ. Facile quippe huiuſ
modi ſuggeſtões extinguim᷑. ſi principiũ ea-
rum ſ̃m ꝑdictum ꝯſiliũ ꝯterimus: difficile do
poſtq̃ caput eaꝝ intra mentẽ admittimus. hec
Anſelm᷑. Vñ ⁊ hiero. Ad pc̃m qd̃ oꝑe ꝑpetra
tur nunq̃ ꝑuenies. ſi incẽtiua vicioꝝ ſtatim in
mẽte iugulabis. et ꝑuulos babilonis ad petrã
allides. in q̃ ſerpẽtis veſtigia nõ reꝑiunt̃: ⁊ tan
dem deo ꝑmittis. ſi mei nõ fuerint domĩati. tũc
immaculatus ero Hec hiero. Ad vitandũ e-
tiam cogitatões malas multũ habere valet cor
vnitũ cũ deo. q: hoc ipſe a nobis p̃cipue req̇rit̃.
Vñ Hugo. In om̃i creatura q̃ ſub celo vanita-
tibꝫ humanis occupat̃. nihil hũano corde ſub-
limius. nihil nobili᷑ nihilq; deo ſimili᷑ reperit̃:
quare nihil aliud querit a te niſi cor tuum. Et
vniuerſaliter in omni tẽptatõne remediũ ſalu-
bre eſt deo inherere. Vñ Aug᷑. Cũ inheſero ti-
bi exonero me: et oĩno nuſq̃ erit mihi dolor et
labor. Moralit̃ at̃ ĩ hoc euãgelio ponit dñs
quedã ad increpatõeʒ phariſeoꝝ. quedã ad in-
ſtructõeʒ diſciplo̾ꝝ. Increpat do phariſeos de
tribꝫ p̃ncipalit̃. Primo de ĩpietate. cũ dr̃ quaꝛ̃
et vos trãſgredimĩ. Scd̃o de ſimulatõe cũ ſub-
dit̃ ẏpocrite bñ ꝓphauit de vob̃ ẏſaias. Tertio
de ſupſtitõne. cũ ſubiũgit̃ et ꝯuocatis turb̃. In
p̃mo ſuggillant̃ tẏrãni q̃ mala ſtatuta faciũt.
In ſcd̃o falſi f̃res q̃ ſimulãt exteri᷑ qd̃ intus nõ
ſũt. In tertõ hẽtici q̃ ꝓhibẽt hoĩes a cibis quos
de᷑ creauit. et nõ abſtinẽt a falſis doctrinis q̇bꝫ
ſe ⁊ alios corrũpũt. Circa ſcd̃m ponit triplicez
inſtructõʒ. vnã in deſtructõeʒ guloſitatis cum
dicit om̃e qd̃ in os intrat. Aliaʒ in refrenatõnẽ
oris cũ ſubdit. q̃ aũt ꝓcedũt de ore. Terciã ĩ cu-
ſtodiã cordis cũ ſubiũgit. d̃ corde em̃ exeũt ⁊c̃.

Domine ih̃u xp̃e da mihi ſic mãdata dei
ſine trãſgreſſione ſeruare. vt ea omnibꝫ
et ſinglis p̄ferã. et ab eis q̃cunq; occaſi
one nõ recedã. Da etiam mihi in om̃i qd̃ in os
corꝑis intrat guloſitati r̃ſiſtere. ac interiori cor
dis mũdicie p̃cipue intendẽ: ⁊ os cordis ac cor-
poris diligent̃ cuſtodire. Et q: nõ ſufficit cuſto
dia hũana niſi aſſit diuina. Ideo te dñe ſuppli
ter peto. pone tu cuſtodiaʒ ipſi vtriq; ori meo.
ne aliquid in illud intret vel inde ꝓcedat. qd̃ me
ſpũaliter in aĩa. ⁊ apd̃ te macl̃are valeat Amẽ.

De muliere chananea. Capi. LXXXIX.

Et relictis ſcribis ac pha
riſeis calũniatoribꝫ. ꝓpter ingratitu
dinẽ eoꝝ: egreſſus inde ih̃s ſcʒ a ꝑ-
tibus iudeoꝝ. abijt et ſeceſſit ĩ par-
tes tẏri et ſẏdonis. vt tẏrios ſẏdonios q; curaret
et gentilibus benefaceret. Tẏrus eniʒ et ſẏdon
vrbes fuerũt chananeoꝝ et gentilium. ſite tam̃
in terra ꝓmiſſionis ꝓpe montem libani in corde
maris. quia filij iſrl̃ nõ potuerunt totaliter ex-
pellere et extermiare gentiles de terra promiſ
ſionis. Et cum ingreſſus eſſet quandã domum
cauſa quietis ex labore vie: acceſſit ad eum mu
lier gentilis. non edocta ꝑ prophetas et legem.
chananea natione. ſẏrophéniſſa genere: quia
chananei qñq; ſẏriam et phenicem tenebãt. vt
dicatur ſẏropheniſſa. quia a ſẏrijs ⁊ phenicibꝫ
deſcẽderat. Sẏria quippe ẽ nomẽ generale ꝓuincie.
phenix nomẽ cuiuſdã ſpecialis ꝯtracte in illa ꝓ
uicia ſite: et ideo cõponit̃ ſẏropheniſſa. i. de tli
ꝯtracta oriũda: a finibꝫ illis egreſſa. nõ ſoluʒ a
ciuitatibꝫ ꝑ pc̃toꝝ dimiſſione. ſed a finibus per
elongatõnẽ et occaſionũ vitatõem: q̇a iſtud in
finibꝫ geſtũ eſt gentiliũ. vbi mulier ſeq̇bat̃ ih̃m
Mulier a finibꝫ illis ſcʒ gẽtiliũ ⁊ peccatoꝝ egreſ
ſa. ſignificat aĩam peccatricẽ. a finibꝫ pc̃toꝝ ꝑ
pnĩam ſe auertentem. Non eniʒ ſufficit homĩ a
pc̃tis ſe auertere: niſi etiã exeat a finibꝫ pc̃toꝝ
qui ſunt occaſiones peccãdi ⁊ cauſe. Vñ Augu
ſtin᷑. Fines pc̃toꝝ exire. eſt cauſas peccatoruʒ
excidere. et eoꝝ ſuggeſtionibꝫ aditũ non indul-
gere. Vbi notandũ ꝙ q̃n ſupra dixit dñs in vi-
am gentiũ ne abieritis ſcʒ ad p̃dicandum. iſtud
verbum ꝓhibet inuitatõnem non receptõnem
ſi veniret. vnde dominus mulierem exteri᷑ non
inuitauit. ſed venientẽ recepit. et hoc ſignificat̃
in aduentu magorum. qui a dño ſũt recepti q̄ſi
primicie gentiũ. Iſta em̃ mulier famam ⁊ mi-
racula ih̃u audiuerat. ideo firmit̃ credebat ꝙ fi-
liã ſuã ſanare poterat. Vnde clamauit: dicẽs ei.
Miſerere mei. quia miſera ſum. ⁊ in hoc ꝙ dicit
mei patet vehemẽtia affect᷑ ſui. q: malũ alienũ
ſcʒ filie. reputat ſuum: ſic debet facere prelatus
quilibet: dñe ꝓpter naturã diuinam: fili Dauid
ꝓpter hũanam. ſed ſimul domine fili dauid pro
pter ꝑſonam in duabus naturis vnitã. Quaſi
diceret. Ex diuina habes p̃tatem. q: potens es
dñe: ex hũana volũtatẽ. q: dauid manſuetudi
nẽ. ex vnione ꝓmiſſiõʒ: q: ideo de᷑ fact᷑ ẽ filius
dauid. vt nos ſaluet. Filium aũt dauid appellat.
quia xp̃m promiſſum iudeis deſcendere de ge-
nere dauid audiuerat. Magna fides chananee
hic notat̃. quia verũ deũ et verũ hominez ih̃m
confitetur. deum credit vbi dominuʒ vocat. ho
minez credit vbi filiũ dauid dicit. Nihil ex me-
rito poſtulat. ſʒ ſolũ dei miſericordiã efflagitat
dicens miſerere. Quaſi diceret. nõ allego meri-
tũ. ñ peto iudiciũ. ñ obliuiſcor d̃fectũ: ſʒ poſtu-
lo bñficiũ et ideo miſerere mei. Vñ Criſ. Miſe-
rere mei dñe fili dauid. O p̃clara ꝯfeſſio. Euan
geliſta fit mlĩer. deitatẽ ei᷑ et diſpẽſatõʒ ãnũci-
ans. Cõfitet̃ em̃ et dñatõem ⁊ incarnatõeʒ ei᷑.
Miſerẽ mei. Vide philoſophiã mlĩeris dicentis.
miſerẽ mei. Nõ inq̇t habeo ꝯſciaʒ bonoꝝ opeꝝ
nec rc̃te vite fiduciaʒ. Ad miſc̃diaʒ ꝯfugio vbi
ceſſat iudiciũ. Ad miſc̃diaʒ ꝯfugio vbi ĩeffabil̃
ſal᷑ ẽ. Miſerẽ mei. Modic᷑ ſ̃mo. ſed immenſum

benignitatis continet pelagus.ubi eñ miſeri-
cordia poſtulat̃.ibi uniuerſa ꝯphenſa ſūt bona
Hec Criſ.Et ut magis eū ad ꝯpaſſionē moue-
at.totū ei dolorē enarrat:dicēs.Filia mea.non
ancilla.nō extranea.ſ; filia.qđ ē mihi grauius.
male uexat̃ nō q̄cūq; dolore.ſ; a demonio qđ ē
ei ꝑiculoſi⁹.In q̄ uulnera medico oñdit.ꝛ ma
gnitudinē ꝛ q̄litatē morbi q̄ ꝑmit. Ihs autē
nō rñdit ei uerbū.nō ꝓpter indignatōe;.ſed ut
eius ꝯſtātiā ꝓbaret.ꝛ ꝓbatā manifeſtaret.et ut
ex ꝑſeuerātia in ꝑce oñderet̃ fides ei⁹.ꝛ deuotō
dignior exaudit̃e. Et in illo ſilētio ſm Aug⁹.
xp̄c exiuit domū cū diſcipulis.q̄s mulier ſeqns
ī uia nihilominꝰ iſtabat.ꝛ ꝑſeuerabat clamās.
intantū ut et diſcipuli miſterij ignari. miſcdia
moti.īportunitate mulieris uicti.rogarēt ꝓ ea
dicētes.Dimitte eā quā tenes nō exaudiendo:
q; clamat p⁹ nos ꝑ anguſtia q̄ eā tenet ꝑmendo
Fac qđ ip̄a petit.et ſic recedet. Moti eñ erant
ad hoc.uidētes eius fidem ꝛ deuotōne;. Ihs aūt
rñdens ait.Nō ſum miſſus niſi ad oues domus
iſrael.i.ad iudeos.q̄ ꝑierūt ſc; ꝑ infidelitate; a
deo recedētes.Ad illos poti⁹ uenire debuit:qui
bus ꝓmiſſus fuit.In hoc uitat ſcādalū iudeoꝝ
q̄tum eſt in ſe.et reddit eos inexcuſabiles.Lo-
quit̃ de ſua miſſione ad ꝑdicandū in ꝑſona ꝓꝑa.
quia nō fuit miſſus niſi ad iudeos ꝑmo et ꝑſo-
naliter:ſed ex ꝯſeq̄nti et per ap̄los ad gētes.et
ideo iudeis tanq̄ eorū ap̄ls ꝑncipaliter miſſus
in ꝓꝑia perſona tm̄ ꝑdicauit.et miracula fecit:
niſi in caſu ex aliq̄ cauſa ſpeciali etiā circa ali
os hoc ageret.ut ſc; eccl'iam in fide gentiū eſſe
fundandā oñderet.ſicut dētur h:et ſup̄ ubi xp̄s
ꝑdicauit ſamaritanis deuote eū recipiētibus.
Poſt mortē aūt xp̄i predicata eſt fides publice
gentilib;. At illa miſera miſcdiam ſequit̃.re
pulſa nō erubeſcit.īportune clamat. ſaluatorē
adoratōe latrie adorat:dicēs.Dñe adiuua me.
Se adiuuari poſtulat.Infirmitatē eñ filie ſuā
reputat.et ꝑ ꝯñs etiā ſanitatē.Quaſi dicēt.Si
uſq;mō nō fui. tñ mō uolo eſſe ouis dei.ī ſignū
hui⁹ adoro te.ſicut ouis paſtorē:et ideo dñe ad-
iuua me.ſicut paſtor adiuuat ouē ſuā debilē et
infirmā.Qui rñdens ait.Non ē bonū q; ē ꝯtra
ordinē iuris et etia; nature:ſumere et auferre
panem.i.uerbum dei et ſalutis.ſeu doctrina;:
et ōpatōnem miraculoſam filioꝝ.i.iudeoꝝ. q;
ꝓmiſſa ſūt iudeis tāq̄ ſp̄ualib; filijs ꝓpt̄ cultum
uni⁹ dei.ꝛ mittere canib;.i.dare gētilib; q̄ ante
ꝯuerſionē dicebant̃ canes.rōne īmunditie.ra-
tōne ydolatrie.rōne ſeuitie in ſctōs.At illa di-
xit.Ecce hūilitas mlieris.q̄ tātoplus magnifi-
cat̃.quātomaior fuit obiurgatō:q̄ quanta fuit
p; ex trib;.q; nō filia.nō pane digna.ſ; potius
canis ē dicta.ꝛ ip̄a ꝯceſſit oīa.Vñ ſequit̃ Etiā
dñe.q̄ſi diceret.uerꝝ dicis q; ſū canis.Canē me
uocas. canis tu⁹ ēē uolo.ꝗ me canē tuū nutri.
q; ñ poſſū relinq̄re mēſa; dñi mei. Dñi canes
nō expellūt̃.ꝛ ſi expellūt̃ ꝑ unā portā ipi ītuer-
tunt̃ ꝑ aliā.Si ꝗ ſu; canis nō debes me expel-
lere a te.ꝛ ſi expellis me a te.ꝯtinuo redibo ad

te.Nam ꝛ catelli edunt de micis que cadunt de
menſa dñoꝝ ſuorū.Quaſi diceret.dñe nō peto
panem ſed micā.q; iſtud qđ peto eſt tibi quaſi
mica ꝑua:et q; ꝯſuetudo ē q̄ domini dant ca
nib; et catellis ſuis ſaltē micas:ꝗ da mihi iſta;
micā quam peto.ſc; filie mee curatōem.Vel eti
am dñe.i.bonū eſt ī caſu.Vñ nō eſt ꝯtrarietas
in ūbo xp̄i ꝛ mulieris.q; ūbū xp̄i ē intelligēdu;
q̄ nō erat regulariter ꝛ uniuerſaliter bonū.cu;
xp̄c eſſet ap̄l'us iudeorū: ſed uerbum mulieris
intelligendū eſt in caſu ſc; ꝓpter petentis deuo-
tōnem:et ut oñderet eccl'ie gentiū futurā fūda
tōnem.Nam et catelli edunt ꝛc̄. Quaſi diceret.
Si catuli aliqua modica ſc; micas cadentes de
cibo filijs ꝯceſſo ꝑcipiūt:ita etiā gētiles aliq̄d
ſaltē modicū de bñficijs xp̄i ꝑcipe debēt.Vñ ſic
intelligi pt̄.Nā ꝛ catelli.i.gētiles īmūdi et mi-
ſeri.edunt id eſt edere debent: de micis.id eſt de
reliquijs que cadunt de menſa dñoꝝ ſuorū id ē
iudeoꝝ.quib; menſa ſcripture et fercula mira-
culoꝝ et alia que ad ſalutem noſtram ꝑtinent
poſita ſūt.Quaſi diceret: debemus habere ali-
q̄ micā tue largitatis. Vñ et ſi non uis facere
nobis ſicut iudeis uaria miracula. ſaltē unum
fac.ſana filiā meā.Nō peto panē integꝝ cu; fi-
lijs in menſa pr̄is.ſ; micas ꝛ reliquias ſub mē-
ſa eius cu; catulis.Quaſi diceret.Non īdigni
tate mea ſ; tm̄ in miſcdia tua ꝯfidens. gratia;
tuā peto.In me ſeruet̃ iſta ſimilitudo panis et
canis.ꝛ ſi īdigna ſū ut pane; integꝝ ꝑbeas:uel
micā tribue filiā meā ſanādo.qđ q̄ſi mica repu
tabit̃ reſpectu mirabiliū q̄ feciſti. Vbi Criſ.Vi
de mulieris patiām et hūilitate;: de⁹ eñ uocat
iudeos filios.ꝛ illa dños:nec doluit de inimico
rū laudib;.nec de ſuo moleſtata ē ꝯuitō. imo ā-
pli⁹ ſe hūiliauit.na; de⁹ gētiles uocat canes.et
iſta catellos. ille panē hec mēſā dic̄.Vñ ꝛ Hie-
roni⁹.Mira ſub ꝑſona mlieris chananitidis ec-
cleſie fides.patiā.humilitas. Fides qua credit
ſanari poſſe filiam ſuam. patientia qua totiēs
ꝯtēpta in ꝑcibus ꝑſeuerat.hūilitas q̄ ſe nō cani
bus ſed catulis ꝯpat.Scio me inq̄t filioꝝ panē
nō mereri.necītegros cape cibos poſſe.nec ſe-
dere ad mēſam cū pr̄e:ſ; ꝯtenta ſū reliquijs ca
tuloꝝ.ut ꝑ hūilitatē micaꝝ ad pāis ītegri uei-
a; magnitudinē Hec Hiero. Et nota h tripli
cem mulieris petitōnem. In prima petit libe-
rari:dicēs.miſerere mei dñe fili dauid. In ſcđa
petit adiuuari: dicēs.dñe adiuua me. In t̄cia
petit ſatiari:dicēs.nā ꝛ catelli edūt ꝛc̄.In pri
ma ꝯfitet̃ ſe miſerā.ideo ait miſerē.ī ſcđa infir-
mā.ideo addidit adiuua me:in t̄cia mēdicā.iō
ſuꝑaddit nā ꝛ catelli ꝛc̄.Quaſi dicēt.ꝛ ſi a mē-
ſa ñ tñ a micis excludas.Hic ei ē ordo:ꝑmo fit
hō miſer ꝑ pctm̄.ſcđo īpotēs ad reſurgendū:et
ideo mēdic⁹ ad releuādū.In illis ꝗ petitōib; ſi-
gnificat̃ ordo effectuu; grē.In ꝑma petit grā;
remiſſionis. et hec ꝑtinet ad grā; iuſtificātem.
in ſcđa gratiā ōpatōis.ꝛ hec ad grām ōpante;.
in tercia grām conſolatōnis.et hec ad gratiam
conſūmantem. Et quia ſic prudenter habuit

ſe: ideo tandem benignum audire reſponſũ me-
ruit. Tunc enĩ rñdens ihs ait illi. O mulier ma
gna ẽ fides tua. qd pʒ ex dbo ⁊ facto ſuo qa nõ
fuit rtardata a feruore petẽdi ꝑmo ꝓpẽ tacitni- xpi
tatẽ. nec poſtea ꝓpẽ ei⁹ negatiuã rñſionẽ. nec ꝓpẽ
illatũ ↄuiciũ. Jã te nõ voco canẽ ſed mulierẽ
fidelem. qꝛ tanta eſt fides tua ꝙ me ſupauit ⁊ vi
cit. et ideo fiat tibi ſicut vis. Quaſi diceret. Fi-
des tua hoc meret. qd patet ex facto cũ ſubdit
Et ſanata ẽ filia eius ex illa hora. ex q̃ ſcʒ dñs
dixit fiat tibi ſicut vis: dicẽ ei dei eſt facẽ. Quia
enĩ a feruore petitõni nõ refriguit ſed pſeuera-
uit. et valde ſe humiliauit: ideo diuina pietas ſe
amplius ↄtinere nõ potuit. que ſemꝑ in orõnẽ
humiliũ reſpexit et pces coꝝ nõ deſpexit. Igit
quia magnã fidẽ habuit hoc qd petijt ĩpetrauit
ĩmmo plus obtinuit ꝙ poſtulauit. Nam poſtu
lauit filie ſue corpis ſanitatẽ. et nõ ſolũ hãc ei
obtinuit ſed etiã mentis iuſtificatõnem. et ſibi
ipi plenã ↄuerſionẽ. Sepe enĩ ꝓpter magnã fi
dem petẽtis deus plus exaudit et plus ↄcedit ꝙ
ille petit. Unde Criſ. O mulier magna eſt fides
tua. Non vidiſti mortuũ ſuſcitatũ. nec lepro-
ſum mundatũ. nec ꝓphas audiſti. nec legẽ medi
tata es. neqʒ mare in diuiſionib ſcindi vidiſti.
nihil horum ↄtemplata es. inſuꝑ et deſpecta et
ↄtempta es a me. et nõ receſſiſti. ſed pſeueraſti
petendo. Et qꝛ magna eſt fides tua. copioſa ef-
fuſa eſt gratia. Et ſanata ẽ. inqt. filia ei⁹ ex il-
la hora. Non ex q̃ venit mater in domũ ei⁹. ſed
ex qua dñi ſermo pceſſit. Et iteꝝ. Chananeam
mulierẽ magno dono impletã remiſit. In hoc
euidẽter oñdit. qm̃ deus etiã illa q̃ nobis pata
nõ ſũt. dare poſſit ſi vehementi⁹ poſtulet. Non
eſt. inqt. bonum tollere panem filioꝝ ⁊ dare ca
nibus: et tñ dedit. qꝛ illa vehemẽter exegit. Iu-
deis vo e regione monſtrauit. qꝛ deſidioſis: nec
illa quidẽ tribuat q̃ eis fuerãt ꝑparata. Deniqʒ
illi nihil acceperũt immo etiã ꝓpria pdiderũt. Et
ideo qꝛ minime q̃ſierũt ne ſua quidẽ acceperũt.
illa vo qꝛ vehementer incubuit vendicare ⁊ reʒ
filioꝝ accepit canis. Tantũ q̃ppe bonũ eſt fides
ſedula et depcatõ pſeuerãs. Et iteꝝ. Tu autem
intẽde qualiter aplĩs victis et nõ pficiẽtib. ipa
pfecit: tam magnũ quid eſt inſtantia oratõnis
etenĩ p noſtris noxijs a nob vult magis rogari
ꝙ ab alijs p nobis Hec Criſ. De ſarepta ad
duas leucas eſt ſydõ ciuitas. añ cuius portam
oñditur vna capella in loco. vbi locutus ẽ dñs
chananee: et deinde ſanauit filiã eius in via. q̃
ducit ceſareã philippi in yturẽam. Sicut autẽ
fides matris coopat filie. ſic fides eccl'ie puulis
q̃ baptizant in ei⁹ fide. Un̄ ſm Remi. dat h ex-
emplũ cathezizandi ⁊ baptizãdi infãtes. vt fide
les p ſuis puul'deo fidẽ pmittãt: q̃ten⁹ ſicut fide
iſti⁹ m'lieris ſanata ẽ filia ei⁹. ita ⁊ fide catholi-
coꝝ viroꝝ pcta puulis relaxent. Per fidẽ eniʒ
eccl'ie ⁊ ↄfeſſiõem ſeu reſpõſiõʒ offerẽtiũ in ba-
ptiſmo. liberãt a demonio puuli: q̃ nec duʒ p ſe
ſapẽ vel aliqd agẽ poſſũt boni aut mali. Al-
legorice at ſm eundẽ remigiũ. hec mulier ſan-
ctam eccleſiam ſignat de gentib cõgregatam.
Per hoc enĩ ꝙ dñs relictis ſcribis et phariſeis
venit in ptes tyri et ſydonis. ſigt qa relicturus
erat iudeos ac trãſitur⁹ ad gẽtes. Eſt at hec mu
lier egreſſa a finib ſuis. qꝛ ſancta eccl'ia receſ-
ſit a ꝑſtinis erroribus et vicijs. Rogat ꝗʒ p filia.
id ẽ p ꝓpl'o ſuo nõdũ credẽte. vt et ipſi abſoluan
tur a fraudib diaboli. Et ſi ad ꝑmã petitõnem
eccl'ie dñs ſalutẽ aĩe differt dare. nõ eſt deſperã
dum vl' a petẽdo ceſſãdũ: ſʒ magis pcib inſiſtẽ
dum. et ad deũ ⁊ ad ſctos recurrẽdum: et tũc p-
ficiet orõ vt ſequat effectus. quãtũcunqʒ fuerit
chanane⁹ gẽtil' canis et immũd⁹. Merito autẽ
magna dr̃ fides eccl'ie de gẽtib. qꝛ cũ gẽtes nec
lege fuerit imbute. nec ꝓphaꝝ vocib inſtructe.
ad pdicatõnẽ mox aplõꝝ in auditu auris obe-
dierũt. ideoqʒ ſalutẽ impetrare meruerũt. Mo-
raliter at filia ẽ aĩa. vel ↄſcia cuiuſlibet int ec
cleſiã diabolo mãcipata. p qua mr̃ eccl'ia orat
vel ipẽ hõ p fedata cõſcia. Un̄ raban⁹. Si quis
ↄſciam habet alicui⁹ vicij forde pollutã. filiam
habet a demõio vexatam. Et ſi qs bona q̃ geſſit
pctoꝝ peſte fedauit. filiã habet immõi ſpũs fu
rijs agitatã. Ideoqʒ neceſſe ẽ. vt ad pces lacri-
mas qʒ ↄfugiat. ſctorũqʒ interceſſiões ⁊ auxilia
q̃rat. Un̄ et Criſ. Imitare chananeã. vir muli-
erẽ. Sʒ forſitã dicis. Nõ habeo filiã q̃ demonio
plena ſit. ſed habes animã peccatis refertam.
Dicito et tu. miſerere mei dñe. quia aĩma mea
male a demonio vexatur. grandis enĩ demõ pec
catũ eſt Hec Criſ. Male aũt vexatur aĩma. qñ
vexatio non ſentitur. peius quando morbus de
ſperatur. peſſime quando medicus contemnit.
Scdm theophilum quoqʒ. vnuſquiſqʒ noſtrum
cum peccat mulier eſt. aĩa eius peccatrix. id ẽ
fragilis ⁊ ĩfirma. cuius filia eſt operatõ praua.
que filia a demone eſt poſſeſſa. quia actus pra-
ui demonum ſunt. Peccatores nos autem exi-
ſtentes nuncupamur catelli impleti immundi
cijs: propter quod non ſumus digni panẽ dei
recipere. aut participes fieri immaculatorum
miſteriorum dei. Si vo cognoſcentes noſmet-
ipſos p humilitatẽ eſſe catulos. hũiliter ↄfitea
mur pcta nr̃a: tũc ſanat filia. quia deletur ope-
ratio praua. Scdm vo Auguſtinum per mulie
rem chananeam poteſt intelligi ratio ſuperior.
que legibus eternis inſpiciendis et cõſulendis
intendit: per demonem autem intelligendũ eſt
ipſa ſenſualitas. que etiã per ſerpentem ſigna-
tur. Sic ergo pariformiter filia mulieris cha-
nanee vexatur: quãdo per ſenſualitatẽ inferior
ratõ ad cõſenſũ pcti mortalis ĩpellit. cui⁹ ſana-
tio p matrẽ id eſt ratõnem ſuperiorẽ a domino
petitur. nam ratio ſuperior ad optima depcat.
Et ſicut dominus diſtulit exaudire petitionem
mulieris chananee. vt eius fides clari⁹ appare-
ret: ſic ⁊ domin⁹ aliquãdo dimittit impulſuʒ ra-
tionis inferioris p ſenſualitatem diutius pro-
trahi. vt augeatur meritum temptati: propter
quod Paulo petẽti ſtimulum carnis a ſe auferri.
dicit dominus: virtus in infirmitate pficit.

Imitemur ergo et nos eccleſie filij hanc mulie
rem. que de gentibꝫ credendo mater nr̃a in fide
effecta ē. qꝛ de gētilitate venimus. Habeamus fi
dem. vt vnū et trinum deū credētes. quicqđ iu
ſte ab eo petimus: nos impetrare poſſe creda-
mus. Habeamus ꝯſtantiā. vt ſi diuina diſpēſa
tio p̄ces nr̃as tardius exaudierit: tādiu preces
p̄cibꝫ iūgamus quouſqꝫ hoc qđ petimus: impe
tremus. Etſi ad impetrādum nos idoneos nō
ſentimus: ſpūalium frm̃ oꝛonis adiutoriū q̄ra
mus. vt ſicut iſta mulier aplīs pro ſe interue-
niētibꝫ qđ petebat. ꝓmeruit. ita ꝛ nos ꝯmuni-
bus p̄cibꝫ magiſq̄ ſingularibꝫ et ꝓprijs adiuua
ri credamus. Habeamus hūilitatē. vt alijs de
nobis maiora exiſtimātibꝫ. nos minores iudi-
cemus exēplo huius mulieris. que cū a dn̄o ca
nibꝫ ꝯpata eſſet. ipa de ſe hūilius ſentiēs: catel
lis ſe coeq̄uit. Hanc hūilitatē in corde hēbat. q̄
deſpectus ab alijs dicebat. Ludā et vilior fiam
pluſq̄ factus ſum. ꝛ ero hūilis in oculis meis.
Oremus inſtāter dn̄m vt ſanet filias nr̃as. ore
mus vt ſanet a pc̄tis et liberet nr̃as aīas. q̄ ma
le a demonijs et vitijs vexanṫ. Clamemus hūi-
liter et ꝑſeuerāter ad eū: dicētes cū chananea
miſerere mei dn̄e fili dauid. et dn̄e adiuua me.
Illa enī anima a demonio vexaṫ. q̄ peccare n̄
ceſſat. et in crimine ꝑſeuerat. Que ſi bene ꝯuer
ſa fuerit. et de xp̄i miſcdia nō deſperauerit: di-
ceṫ ei a pijſſimo dn̄o. fiat tibi ſicut vis. et ſana
biṫ ex illa hora. qꝛ pc̄tor q̄cunqꝫ hora ꝯuerſus
fuerit et ingemuerit: vita viuet et nō morieṫ.
Noli ḡ deſperare vel a petēdo ceſſare. qꝛ ſi cor-
de integro fideli et puro in oꝛone ꝑſeuerās: co-
rā deo tuo hūiliaueris. r̄putās te indignū omī
bn̄ficio ſuo. certiſſime credas q̄ q̄cunqꝫ petie-
ris: obtinebis. Et ſicut apl̄i rogauerūt ꝓ cha-
nanea. ſic ꝛ āgelus ꝓ te rogabit. ꝛ oꝛonem tuā
deo offerēs: vtilitatē tuā ꝓcurabit. Oratio.

Domine ihū xp̄e. te rogo et obſecro mi-
ſerere mei. et adiuua me in meis neceſ
ſitatibꝫ. ac temptationū et tribulatio-
nū vexatōnibꝫ. etſi dn̄e qꝛ canis ſum ꝛ apud te
vix vt canis. nō ſum dignus integꝛ a te panē
id eſt magnitudinē donoꝝ tuoꝝ recipe. ſaltem
da mihi micas ꝑuulas. i. aliquātulum de grā
tua. ſine q̄ anima mea male a demonio vexaṫ.
cum ipa ꝯo quantūcunqꝫ praua fuerit: a pc̄to
ꝛ demonio liberabiṫ. Nam grā tua exiſtens in
anima. et delet om̄ia peccata. ꝛ deo facit aīam
filiam adoptiuam Amen.

De ſurdo et muto a demone poſ-
ſeſſo. Capitulum. LXXXX.

Iterum exiens ihs de
finibꝫ tyri. venit per ſydonē ad ma
re galilee inter medios fines deca-
poleos. Decapolis nomē eſt regio
nis decem vrbes ꝯtinētis. et dicitur a deca q̄ ē
decem et polis q̄ eſt ciuitas. et huius regionis
vna ꝑs eſt vltra iordanē. et alia citra. Igiṫ ma
re galilee qđ eſt quidā lacus per quē trāſit ior
danis fluuius: reſpicit vtriuſqꝫ ꝑtis regionis
predicte fines et terminos. Et adducūt ei per
fidei ſue deuotōem ſurdū ꝛ mutū. Non erat iſte
talis a natiuitate. nec ab īfirmitate ſuꝑueniē-
te: ſꝫ a demone ipm̄ obſedente. ac eius auditū ꝛ
loquelā impediēte. ꝛ in ipo tria miracula ꝯcur
runt. qꝛ auditus et affatus fuit ei redditus. et
a demone fuit liberatus. Et dep̄cabātur euꝫ vt
imponat illi manū om̄ipotentem que ꝯdiderat
eum: efficax eſt enī manus xp̄i ad ſaluādum.
Sanatur quē tangit ihs. ſanatur queꝫ tangit
ſaluator. qꝛ ipe eſt ſalus ꝛ vita. Nō aliunde que
rit herbas. ipe eſt ꝛ medicus et medicina. Tan
git et ſanat. reſpicit et medeṫ. Moraliter oīs
xp̄i actio: nr̃a eſt inſtructio. Si ḡ tu vis cura-
rari: ſequaris exemplarē inſtructōem medici.
Exeas de tyro. i. de peccato ꝑ ꝯtritōnem. inter-
pretaṫ enī anguſtia. venias ꝑ ſydonē. i. ꝯfeſſio-
nem. interp̄tatur enī venatio. et ꝯfeſſio vena-
tur circūſtantias peccatoruꝫ: ad mare galilee
trāſmigrando ꝑ ſatiſfactōnem. a delectatōnibꝫ
carnis ad opa ſatiſfactoria: ꝑ medios fines de-
capoleos. obſuando ſcꝫ decem p̄cepta. Condu-
cant aūt te timor et amor. Et apprehendens
eū ihs d turba ſeorſū. miſit digitos ſuos in au
riculas eius. ꝛ expuēs tetigit ſputo linguā eiꝰ
Xp̄c aliqn̄ ſanauit infirmos tāgendo eos cor-
poraliṫ. vt oſn̄deret humanitatē ſuā eſſe deita-
tis inſtrumentū. qꝛ ꝑ humanitatē faciebat mi
racula inſtrumētaliter: ſꝫ per deitatē principa
liter. Et ſuſpitiēs in celū ingemuit ex ꝯpaſſio-
ne. vt querēs a deo auxiliū. oſn̄deret ſe verū ho
minē. ꝛ ait. effeta. qđ eſt adaperire. ſ. tā in vin-
culis aurium q̄ in vinculis lingue. vt audias ꝛ
loquaris ꝑfecte. In quo oſtendit ſe eſſe verum
deū: curando ꝑ imꝑium. Hoc vno ſmone cura
uit eū. qꝛ ſtatim ad eius imperiū aperte ſūt au
res eius. et ſoluta eſt lingua eius. et loquebaṫ
recte. Miſtice ꝑ ſurdū et mutū accipitur ge
nus humanū. qđ monita ſalutis nō audierat ꝛ
a laude dei ceſſabat. Pro quo deprecabātur pa
triarche et ꝓphete. incarnatōnem xp̄i deſideran
tes. vt imponat illi manū miſericordie. que ho
minē ſanat per aduētum eius in carnem. Sꝫ
et varia peſte et omniuꝫ fere morbo in primo
parente percuſſum ē genus humanū. Cecatur
dum videt nō videnda. Surdus fit. dum audit
nō audienda. Dum odorat: emūgitur. Obmu-
teſcit dum loquitur. Mancus fit dum manum
erigit. ꝛ ad vetitum pomū extendit. Incurua
tur. dum ſuꝑbia erigitur. Hydropicus fit. dum
concupiſcit. Claudus fit. dum progrediṫ. Le-
pra ſuffūditur. dum virtutibꝫ nudatur. Demo
ne impletur. dum deitatē appetit. Moritur. dū
audacter peccatū excuſat. Circa ſanatōem
iſtius languidi plura hic tāguntur. Primum
eſt eius adductio ad deum. per preces patrum
ſanctoꝝ. Secūdum eſt apprehenſio. vt enim ge-
nus humanum liberaret: naturā noſtrā appre-
hendit. Tertium eſt ipius a turba ſequeſtratio
vt doceret nos fugere ianem gloriam in actibꝫ

noſtris. Quartum eſt digitoꝝ immiſſio. vt do-
ceret in eius membris diuinitatē habitare. licꝫ
potens eſſet etiam verbo ſanare. Digiti etiam
qui in aures mittuntur: dona ſpũſſancti ſunt.
de quo dicitur. digitus dei eſt hic. Et ita digi-
tos in auriculas mittit. cum ꝑ dona ſanctiſpi-
ritus aures cordis ad intelligẽdum verba ſalu
tis aperit. et preceptis ſuã grãm obediendi tri
buit. Quintum eſt tactus lingue eius cum ſali
ua. vt oſtenderet ꝙ omnia membra ſacri corpo
ris eius diuina exiſtunt et ſancta. ⁊ etiam ſpu
tum quod vinculum ſoluit: etenim omne ſpu-
tum ſuꝑfluitas quedam eſt: ſꝫ ĩ domino oĩa
ſunt diuina. Saliua etiam ex capite in os de-
fluens: diuina ſapientia eſt. que vincula labio
rum ſoluit. Et ſic expuens linguã tangit. cum
ad fidei ꝯfeſſionem et predicatõnem ſapientiã
dat et ora relaxat. Sextum eſt aſpectus in ce-
lum. vt inde cunctis infirmantibꝫ medelam ac
omne remedium querẽdum eſſe oſtenderet. et
in celum theſaurũ cordis noſtri erigere. et ad
deum intentionem noſtrã ſemper dirigere do-
ceret. Septimum eſt gemitus. non qꝛ ipĩ opus
eſſet cũ gemitu aliquid petere a prẽ. qui cũcta
petentibꝫ dat cum prẽ. ſed vt gemere nos doce
ret. et gemendi exemplũ nobis daret. cum pro
noſtris ſeu alioꝝ exceſſibꝫ ⁊ erroribꝫ. vel deſide
rio prĩe celeſtis ſuꝑne pietatis preſidia inuo-
camus. Ingemuit etiam nr̃am cauſam ſuſpi-
ciens in ſeipõ. ac nature miſertus humane. et
ꝯpaſſus miſerie tãtaꝝ infirmitatũ. ĩ q̃s genus
humanũ incidit ꝓpter peccatum. Octauum eſt
xp̃i imperiũ. cum ait. effeta. quod ẽ hebreum. ⁊
idem quod adapire. imꝑatiuũ paſſiui verbi. i.
ſis aptus. quod licet ꝓprie loquẽdo ad ſolas au-
res referatur. tñ per verbum iſtud dñs intelle
xit. ꝙ vtraqꝫ infirmitas curaret̃. quod patet ꝑ
effectũ ſubſecutum. Ubi (ſm̃ Bedã) vtraqꝫ na-
tura vnius et eiuſdem eſt xp̃i manifeſte diſtin
cta. Suſpiciens enĩ in celum. q̃i homo deũ p̃ca
turus ingemuit. ſꝫ mox vno ſermone. q̃i potẽs
diuina maieſtate curauit. Aures deniqꝫ infir-
mi ad audiẽdum aꝑiuntur. et lingua ad loquẽ
dum ſoluitur. dum ſurdus qui p̃ceptis diuinis
aures cordis nõ ꝯmodat. et mutus qui clauſa
in diuinis laudibꝫ ora tenet: ꝑ grãm dei iuſtifi
catus vtrũqꝫ oꝑatur. vinculũ q̃ꝫ lingue ſoluit̃
qñ ad orõnem. ad proximi edificatõem. ad pecca-
ti ꝯfeſſionem. et ad dei laudem lingua vtimur.
Hinc igitur docemur. vt quoſlibet peccatores
quotidie ꝑ predicatõnem nr̃am deo adducẽ ſtu
deamus. ⁊ ꝓ illis iugiter exoremus. Deprecatõ
enĩ adducẽtiũ. ſignificat eccleſie interceſſionẽ
Uñ Beda. Surdus et mutus ẽ. qui nec aures
habet audiẽdi verba dei. nec os aꝑit pro loquẽ
dis. quales neceſſe eſt vt hi qui loqui iam et au
dire diuina eloquia didicerũt: dño ſaluandos
offerant. Uñ et Greg. Sꝫ cui aures cordis ad
obediendũ aperte fuerint. ex ſubſequenti ꝓcul
dubio etiã lingue eius vinculũ ſoluit̃. vt bona
que ipẽ fecerint. etiam faciẽda alijs loquatur.

Unde et bñ ſubditur ⁊ loquebat̃ recte. Ille enĩ
recte loquit̃ dñm ꝯfitendo vel alijs p̃dicando.
qui prius obediẽdo fecerint que loquẽdo admo
net eſſe facienda. Quilibet etiaꝫ peccator q̃ ad
deũ ſurdus eſt. q̃ obturat aures ſuas ne audiãt
deũ ſibi loquentẽ. ſiue ꝑ predicatõem. ſiue per
ſcripturã. ſiue ꝑ inſtinctũ eternũ. his enĩ tribꝫ
modis deus loquet̃ nobis. ⁊ ſurdi ſũt qui eum
nõ audiunt. Sunt etiã muti. q̃ deo ꝑ multa be
neficia eos ad ſe vocanti. non rñdent ꝑ grãruꝫ
actionẽ et debitã recognitõem. q̃tum ad vtrũ-
qꝫ defectum ꝯqueritur dñs per yſaiaꝫ: dicens.
locutus ſũ: inquit. ⁊ nõ audierunt. vocaui et ñ
erat qui rñderet. Surdus igit̃ eſt inobediens
et mutus. laudes debitas dei obmittens. et nec
aures nec os ad dei verba audienda et ꝓnũtian
da aꝑiens: ſꝫ tactu xp̃i vtrunqꝫ tollitur impedi
mentũ. qꝛ cuꝫ xp̃c ſua grã tangit cor hominis:
fit hũiliter obediens ⁊ deuote deũ laudãs. Ta-
lis õo adducit̃ et ſanatur in ꝓuintia. vbi ſunt
decẽ vrbes decaloguꝫ ſignificãtes. Qualiter
aũt peccator de vtroqꝫ defectu ꝑ diuinã clemẽ-
tiam curari habeat: ꝓceſſus ſanationis huius
infirmi declarat. in quo plures ꝯcurrũt circũ-
ſtantie ſignãter attendẽde. Primo enĩ infirmꝰ
ad ſaluatorẽ adducit̃. ſecũdo ſaluator ꝓ illiꝰ ſal-
uatõe rogat̃. tertio infirmus a ſaluatore ꝯpre-
hẽditur. et a turba ſequeſtrat̃. quarto ſaluator
digitos in auriculas eius mittit. quĩto linguaꝫ
eius ſaliua ſua tangit. ſexto in celũ ſuſpicit. ſe-
ptimo gemit. octauo dicit effeta. ⁊ ſic nono in-
firmus ꝑfectã ſanitatem recepit. Et hec oĩa
circa ſanatõem huius infirmi geſta corꝑalit̃:
explent̃ in ſaluatõne cuiuſlibet nr̃m ſpũaliter
Primo ẽ ad ſaluatõnem pctõris exigit̃. vt ſal-
uatori adducat̃. qđ fit pluribꝫ modis. aliqñ vir
tute predicatõnis. aliqñ correptione infirmita
tis. et p̃cipue cũ timetur ne ſit ad mortem. ali-
quãdo hoc fit exẽplo alterius vitam p̃teritam
corrigẽtis. aliqñ fit elemoſinaꝝ largitõe. aliqñ
ductu ꝓprie ꝯſcientie. Secũdo ſaluator rogat̃.
nam ſepe precibꝫ ſanctoꝝ ſalus alicui impetra
tur. deus enĩ vult rogari. licet tamẽ velit facẽ.
Tertio infirmus a turba ſequeſtrat̃. quod fit.
cum dñs quemlibet impiũ iuſtificãs. de ſocie-
tate male viuẽtium diuidit. vel a ꝯſuetis mal'
moribꝫ euocat et retrahit. quia (ſcđm Hiero)
ſeorſum ſemper a turbulentis cogitationibꝫ et
actibꝫ inordinatis. ſermonibuſqꝫ incõpoſitis:
quaſi de turba educitur. qui ſanari meret̃. Hic
datur documẽtum penitentibꝫ. abſtrahendi ſe
a prauis mundanoꝝ hominũ ſocietatibꝫ. Sed
quia non oĩes qui per penitentiã adducũtur
ad deum: poſſunt ſe ſegregare a turbis fuga
corꝑali. ſaltem hoc debent facere abſtractione
mẽtali. et ſufficit ad ſalutẽ. Quarto ſaluator di
gitos ſuos ĩ auriculas pctõris mittit. quod fit
quãdo deus ꝯſideratõnem peccatorum ſuorũ ei
ĩmittit. q̃i omnia peccata ſua in corde ſuo digi
to dei ſcripta videat. Quĩto ſaluator ſaliua ſua
linguã hominis tangit. cum ipm̃ ad ꝯfeſſionẽ

inſtruit. Et recte ꝯgnitōem veritatis digito dei
per aures inmiſſam: debet ſequi cōfeſſio. que ꝑ
tactum lingue ſignificatur. Eſt aūt triplex cō
feſſio. ſcꝫ peccatoꝝ. fidei. et laudis diuine. Se
xto ſaluator in celū ſuſpicit: docens ꝑ hoc pec
catorē ꝯuerſum oculos intentōnis et deſiderij
ſurſū ad celeſtia debere erigere. Qui enī ꝓdeſſet
a terrenis fore ereptū: ſed nō animum habere
ad celum erectū. Septimo ſaluator ingemiſcit
infirmū ſanandū. docēs ꝑ hoc nos gemere de
bere pro incolatu pn̄tis miſerie: dicendo cū da
uid. heu mihi quia incolatus meus ꝓlongatus
ē. Premiſſis ſeptem pactis: dixit ſaluator effe
ta. quaſi per hoc verbuꝫ dans peccatori plenā
abſolutōem a pena et culpa. Unde mox ſequit̄.
Et ſtatim aperte ſunt aures eius. ⁊ ſolutum ē
vinculum lingue eius. et loquebatur recte. Et
ſic peccator reſtitutus eſt ꝑfecte ſanitati. et nō
reſtat ei niſi euolare. Et precepit eis. nō p̄
cepto obſeruationis: ſed inſtructōis ad humi
lianduꝫ ſe in factis exemplo ipſius. ne cui dice
rent. et per hoc non iactare bona ſua diſcerēt.
quia iactantiam in omni opere bono ꝓhibuit.
Precepit ne cui dicerent. Primo vt doceret n̄
eſſe gloriandum in virtutib᷒. ſed in cruce ⁊ hu
miliatione. Secūdo vt doceret ꝙ benefitia lar
gientes de eis laudem ꝓpriam nō debent quere
re. Sed quia accipientes ꝯuenit laudare bene
factores. ideo bene ſubditur. Quāto autem ex
abundantiore humilitate eis precipiebat. tāto
magis predicabant gloriā ipſius ⁊ dilatabant.
quia humilitas ſemꝑ gloriā precedit. Per hoc
aūt oſtenditur. ꝙ bn̄fitiatus de bn̄fitijs debet
ſe gratum oſtendere et benefactorem laudare,
q̄uis hoc bn̄factor non querat aut velit. Unde
Theoph. Docemur aūt ex hoc. cū alicui bn̄fi
tia elargimur. minime applauſus et laudes ap
petere. cum vō accipimus bn̄fitia: bn̄factores
p̄dicare et laudare q̄uis nolint. Per hoc etiaꝫ
monemur. vt frequēter p̄dicemus xp̄i gloriaꝫ.
qui ab ipſo mādatum habemus. duꝫ eos quib᷒
datū erat p̄ceptum ſilentij p̄dicaſſe ꝯſpicimus
Unde Aug. Sciebat ille qui oīa nouit āteqū
fiant. quia magis p̄dicarent: ſed hoc p̄cipiendo
pigris voluit oſtēdere. quāto ſtudioſius quan
toqꝫ feruētius p̄dicare debeant. qui iubent̄ vt
p̄dicent. qn̄ quidem illi qui ꝓhibeātur: tacere n̄
poterant. Et quātum ipſe ex humilitate nō di
latari p̄cipiebat. eo amplius admirabant̄: di
centes. et eū laudando p̄dicantes. Bene oīa
fecit et facere ꝓbauit. qꝛ et ſurdos fecit audire
⁊ mutos loqui. quotquot voluit ⁊ ſibi placuit.
Licet enī hic nō exprimat. niſi vnū ſurdum et
mutum eſſe curatum. tn̄ plures fuerūt ſurdi. ⁊
muti. ac ceci et claudi alijqꝫ īfirmi curati. vt pa
tebit in capitulo ſequenti: ſed inter illos erat
vnus cuius cura fuit mirabilior inter ceteros.
quia in ipſo (ſcḋm Hiero) tria ꝯcurrerunt mira
cula. ſ. in recuꝑatōne auditus. et loquele. ac li
beratione a demone. Et notanter dicitur. bene
omnia fecit. quia non ſufficit bona facere. niſi
bene fiant. bene aūt fiunt qn̄ dei adiutoriū po
ſtulatur. et quādo humana gloria figitur. Hic
ergo docemur vanā gloriam fugere. ⁊ hominū
iactātiam declinare. Qui ſi aliquid dignū lau
de aliquādo fecerimus. hoc non ad vulgi fauo
rem extollere et p̄dicare. imo humiliter abſcō
dere et celare debemus. Et hoc totum vertitur
in ꝯtrarium. quia plus laudātur illi qui facta
ſua abſcōdere volunt. ꝙ illi qui ea pro vana glo
ria manifeſtare ꝯtendūt. Si gloriā mundi fu
gis: ipſa te ſequitur. etſi eā ſequeris: ipſa te fu
giet. Un̄ Aug. Uirtutes habenti: magna virtꝰ
eſt ꝯtempnere gloriam. quia ꝯtemptus eius in
ꝯſpectu dei eſt: iuditio aūt non apitur hūano.
Et qui ꝯtempnit iuditia laudantiū: ꝯtempnit
etiam ſuſpicātium temeritatem. Neqꝫ eſt vera
virtus. niſi que ad eū finem tendit vbi eſt bonū
hominis quo melius nō eſt. Unde ⁊ Criſ. Uer
ſuta ē ⁊ vana gloria. et ad ea que valde ſūt ma
nifeſta: excecat mentem eoꝝ qui ab ea capiun
tur. Ebrietas enī quedam ꝓfunda ē. ideoqꝫ dif
ficile reductibilem euꝫ qui captus eſt facit hec
paſſio. Hec eoꝝ que capiūtur aīam abſcindens
a celis terre affigit. et lucem reſpicere verā nō
dimittit. Hec paſſio auaritiā genuit. liuorem
accuſatōem. inſidias. hec eos qui nihil mali paſ
ſi ſunt. aduerſus eos qui nihil mali fecerūt: ar
mat et irritat. Neqꝫ amicitiā nouit. qui in hāc
egritudinē incidit. nō verecūdari ob aliquem
vniuerſalit̄ ſcit. ſꝫ oīa ab animo eius exitiēs
bonū ad oēs bellatur. inſtabilis et ſine ami
cis exiſtēs. Uigilemus itaqꝫ dilecti. ⁊ ſumamꝰ
ſenſuꝫ hūilitatis nobis a deo date. Contēpna
mus multoꝝ gl'iam. nihil enī ita deriſibilē ⁊ de
honorabilē facit. vt hec paſſio. nihil ita ꝯfuſio
ne plenū. Qm̄ gl'iam quidem cupe ingl'iatio ē.
gloria aūt vere ē hanc deſpicē. et nullā eius fa
cere curā. ſꝫ ad id quod deo placet oīa dicere
et facē. Ita enī poterimus et mercedē recipe.
ab eo qui nr̄a videt diligēter. cū eo ſolo ꝯtenti
fuerimus inſpectore. Nos vō talem hn̄tes dn̄m
ne p̄cor alios inquirē īſpectores. qui ꝓdeſſe qui
dem nobis nihil. nocere vō ex inſpectōne eorū
pn̄t. et omnē euacuare laborē nobis. Sꝫ vnde
habemus mercedes ſuſcipe: hūc vocemus lau
datorē eoꝝ que fiūt. hunc inſpectorē. Nihil no
bis et humanis oculis ſit. Si enī volumꝰ ⁊ hac
potiri gloria. tunc hac fūgemur. cū eam que a
deo eſt querimus ſolā. Hec Criſ. Oratio.

Domine ihū xp̄e qui finalit̄ malos deſe
ris. veni ꝑ ſydonē p̄dicatōnis ad mare
ꝯtritōis galilee ꝯfeſſionis. ſatiſfactōis
et trāſmigratōis. int̄ medios fines decapoleos
caritatis in decalogo ꝑfitiētis. ⁊ apprehēde nos
ſeorſuꝫ a turba tēptatōnis multiplicis. Mitte
digitū diſcretōis in auriculas nr̄i intellectus.
et guſtū ſapie in os nr̄i affectus. vt ad ꝯfitēdū
ſoluant̄ vincula lingue nr̄e. ⁊ loquamur recte
verbo. ⁊ ope n̄ diſcordāte a volūtate. vitemuſ
qꝫ laudes hoim. vt ⁊ ſurdi audiāt ꝑ ꝯuerſionē.
et muti loquātur ꝑ ꝯfeſſionem Amen.